



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

II. Vnde oriatur fluxus & refluxus maris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

cem & calorem, debet habere alias virtutes, similia accidentium productivas.

VI. Probatur 2^o. quia præter lucem & calorem dantur alii effectus à cælis dependentes, qui à luce & calore produci nequeunt, ergo, danda est alia causa præter illuminativam & calefactivam: consequentia patet ex relatione effectus ad causam: Probatur antecedens; quia astra procreant aurum & alia metalla in visceribus terræ, quod neque calor, neque lux permeat, ut videtur experientia interjecti montis inter me & luculentissimum ignem, notum.

VII. Confirmatur: Astronomorum experientia constat Saturnum frigefacere, lunam humectare, &c. qui effectus non sunt luci aut calori solis proportionati, ut patet, ergo, &c.

VIII. Dices fortè calorem & lucem cœlestem esse diversæ speciei à nostrate, virtualiterque quatuor primas qualitates nostrates continere, ergo, &c.

IX. Respondeo, quod adversarii de nostra Resolutione supra dicunt; illud ipsū esse irrationabile (si non novitum) contra omnem experientiam inventum, quod calor ille frigus nostrum expellat & calorem nostrum intendat, & tamen sit frigoris conservativus & caloris expulsivus uti esse deberet, incredibileque est ad tantam profunditatem terræ, in qua aurum gignitur, solis lucem pertingere, ut diximus, quod fieri deberet.

D V B I V M II.

Vnde oriatur fluxus & refluxus maris.

X. **A**Nte Resolutionem
Suppono 10. mare rectè defini commu-
nem aquarum congregationem, & origi-

nem cæterarum: mareque esse salsum & amarum, (unde fortè mare dictum) experientia constare: sed unde falsedo & amaror, secus quàm in aliis aquis? difficulter dicitur; puto esse ab astris & aquarum marinarum tali receptaculo.


XI. Suppono 2^o. fluxum & refluxum maris ab aliis rectè dici æstum, eò quod æstu crescente fluat, decrescendo refluat, idque unà singulis diebus ferè horà seriùs juxta lunæ motum, qui singulis diebus ferè est unà horà seriùs in orizonte: in plenilunio autem æstus est maximus, in interlunio paulò minor, in semilunio mediocris, pro majori, vel minori lunæ à sole distàtia; quia etiam sol multum juvat ad extrahendos spiritus tumefaciētes mare, ut statim patebit. His suppositis, sit

R E S O L U T I O.

XII. **D**Ico causa fluxus & refluxus maris omnino in lunam refundi debet. ita D. Thomas, Albertus Magnus, Alensis, quos sequuntur & citant Conimbricenses: Item Fromondus Meteorum lib. 5. cap. 10. art. 9^o.

XIII. Probatur ex eo, quod hic motus maris imitetur periodos motus diurni; uti enim ille quatuor habet principia distinctiva, Orientem, Meridiem, Occidentem, & Mediam noctem; ita fluxus ille spatio 24. horarum fluit semel quasi secutus lunam tendentem ad Meridiem, refluit quasi secutus lunam tendentem ad occidentem; fluit quasi iterum secutus ad mediam noctem, refluit quasi secutus revertentem ad Orientem. Item quod sequatur etiam iste motus aspectus lunæ ad solem; in plenilunio enim fit vehementior, uti & cum luna est in signis aquaticis hiemali tempore, ergo, &c. Probatur consequentia, quia non apparet, cur alioqui esset tanta subordinatio æstus maris ad lunæ cursum, ergo, &c.

Finis Librorum de Cælo.



PHYSICÆ